

Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.

✠ Conclúsió sancti Evangélii
secúndum Matthæum

28, 16-20

In illo témpore:

- ¹⁶ Undecim discípuli abiérunt in Galilæam,
in montem ubi constitúerat illis Iesus,
¹⁷ et vidéntes eum adoravérunt;
quidam autem dubitavérunt.
¹⁸ Et accédens Iesus locútus est eis dicens:
«Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra.
¹⁹ Eúntes ergo docéte omnes gentes,
baptizántes eos
in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti,
²⁰ docéntes eos serváre
ómnia, quæcúmque mandávi vobis.
Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummationem sæculi».

Verbum Dómini.